

sus Occidentem Galliam atque Belgium; versus Meridiem Italiam & Helvetiam, versus Septentrionem denique Balticum & Daniam; quid? quod magis est, ipsum Regni nostri Germanici Corpus suos passim nescire videtur Fines modernos & ipsis in Comitibus universalibus disputatum quandoque novimus: num hæc vel illa Provincia Germaniæ partem constituat nec ne; imo non disputatum solum, sed & suspensum in hunc usque diem iudicium. Adeo scilicet laxus est, si quis est adhuc, nexus istas inter Provincias reliquumque Corpus Germaniæ. Sunt equidem & inter novissimos, eosque cætera præstantissimos, Iuris nostri publici Interpretes, qui sibi aliisque persuadent, nihil requiri pro illustratione huius materiæ, præter evolutionem Pactorum & Tractatum, tum superiori, tum hoc, quod vivimus, Seculo Germaniam inter vicinasque Gentes initorum; verum enim vero designant quidem hi Tractatus Fines certos, dubios vero vel plane non tangunt, vel in dubio relinquunt, ut adeo cognitio horum Tractatum neutiquam sufficiat.

§. II.

Nolumus autem prolixi esse in texendo errorum Catalogo eorum, qui sive in Scriptis, sive in Mappis Geographicis iusto nimis Germaniæ fines vel porrigunt, vel restringunt, vel Territoriis Iuris Germanici aliis immixta ab his non satis curate distinguunt: brevibus dixisse sufficiat, quæ de imperfectione multiplici Mapparum Germaniæ Geographicarum conqueritur Geographorum nostri Seculi Princeps Maxim. Rev. HAVBERVS, (1) ea & nos Iure optimo maximo nostra facere posse in præsentia materia. Speciminis loco hoc saltem monebimus, plerumque in Mappis Geographi-

Errones
Mappa-
rum Geo-
graphica-
rum stri-
ctim no-
tati.

A 2

1) Im Discurs von dem gegenwärtigen Zustand der Geograph. Sect. 3. S. 35. p. 151. seq.